

## 5) Magna duo in plano Presbyterii.

Vd.: *Instr. Clem.* §. VI. n. 1. 3. 4. 9; §. XX. n. 4.

## 6) In Missa.

Vd.: Missa cor. Laicis; *Missa priv. Episcopi*, Dignitarii; *Reliquiae*; *Candela*; *Ordinatio*; *Missa sine luminibus*, vd.: *Candela* (materia, decr. n. 5150.)

## 7) Ex Oleo.

Vd.: *Facula* (decr. n. 3597); *Lampas*; *Candela* (materia; decr. n. 5150); *Instr. Clem.* §. VI. n. 2. 11.

## 8) Coram Oleis sanctis.

Vd.: *Olea s.* (asservatio, decr. n. 4623 nota.)

## LYTANIAE.

## 1) Approbatio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 20 etc. *Lytan. B. V. M.* (add. illic. decr. n. 4570.) *Lytan. diversae.*

## 2) S. Annae.

Ad petitionem PP. Carmelitarum de Francavilla, ut recitare valeant: S. Mater Anna, ora etc.; S. Mater Mariae; S. Anna, Avia Christi, Sponsa Joachim, Socrus S. Joseph, Refugium peccatorum, Auxilium Christ., Consolatrix Affl., Auxilium omnium ad Te clamantium, Laetitia Angel., Gloria SSrum., S. Maria, Filia s. Matris Annae etc.: S. C. resp.: Non licere recitare suprascriptas Lytanas. n. 3043 die 5. Febr. 1684.

## 3) B. V. Mariae.

## a) Additio illicita.

Vd.: *Rosarium* (recitatio.)

Nihil addendum in Lytaniis B. V. M. sed omnino recitari debere prout jacent impressae pro domo Lauretana. n. 932 die 2. Aug. 1631.

Non licere Franciscanis Tolosae no-

vum Rosarium sub titulo Seraphici aut novem novendarum aut alterius rationis inducere, praedicare et docere nec in Lytaniis B. V. M. aliquid innovare. n. 2270 die 15. Mart. 1664; n. 2301 die 22. Novb. 1664.

## Decretum generale.

*Ad dubium*: An liceat titulo specialis devotionis Litanis Sanctorum vel Lauretanis aliquem versiculum addere, vel novas Litanias, de quarum adprobatione Ordinario nullatenus constat, in Ecclesiis canere vel recitare?

Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit, ut infra, videlicet:

„Negative, et serventur omnino Decreta S. C., curentque Ordinarii colligere et vetare formulas quascumque tam impressas, quam manuscriptas Lytaniarum, de quarum adprobatione non constat.

Et facta de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione S. S. S. C. Responsa adprobavit confirmavitque, atque, ut cunctis pateant, Decretum Generale desuper expediri typisque evulgari mandavit.“ n. 4578 ad 8 die 3. Apr. 1821.

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Hac super re legi possunt Decreta in nostra Collectione relata. Non enim licet intuitu specialis devotionis alicujus Sancti nomen Lytaniis addere, nisi doceatur de Apostolico indulto. Vide etiam adnotationem ad §. 24. Clementinae Instructionis num. 19.

*Ad dubium*: an in Lytaniis Laurent. B. V. M. post: *Regina SS. Omnium* addi possit alius versus: *Maria advocata nostra*, vel alius? S. C. resp.: Negative. n. 4857 ad 3 die 3. Aug. 1839.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 19 etc.

## b) Additio licita.

Vd.: *Rosarium* (ritus; decr. n. 2741.)

*Urbis et Status Ecclesiastici.*

Cum SS. D. N. Pius VII. P. M. validissimum B. M. V. auxilium expertus fuerit in multis tribulationibus, aerumnis, angustiis, quas in diutina quinque et ultra annorum captivitate passus est, Ejus intercessioni tribuens felicem suum reditum in Urbem Sanctam, a qua fuerat nefarie avulsus; accito Rmo. Card. Julio Maria de Somalia Episcopo Tusculano, suo in Urbe Vicario Generali, et S. R. C. Praefecto, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato Sibi et populo fidei in auxilium venit, peculiare Festum in ejusdem honorem instituatur peragendum die 24. Maji in aevum memoranda, felici Ipsius ad Petri Sedem signata regressu; et aemulatus Decessorem Suum S. Pium hujus nominis V., qui ob insignem Victoriam anno MDLXXI. a Christiana Classe contra Turcas ad Echinadas insulas Dei Genitricis ope relatam, Lytaniis Lauretanis alterum elogium inseri iussit: *Auxilium Christianorum*, ita et ipse hoc titulo decorare novum hoc Festum constituit cum Officio et Missa ab eodem Rmo. Card. Praefecto, a R. P. Andrea Cavalli Promotore Fidei, et ab infrascripto S. R. C. Assessore revisis, cum in Urbe tum in toto Ecclesiastico Statu recitanda et respective celebranda sub ritu dupl. maj. ab omnibus tam Saecularibus quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur.

Et hoc Decretum in Acta C. S. R. reponi ac publici juris fieri mandavit die 16. Sept. 1815. n. 4514.

Piis precibus Regis Hispaniar. Clem. PP. XIII. porrectis, quibus supplicabat, ut facultas fieret in suis Regnis et Dominiis, in quibus B. V. M. sub

immac. Conceptionis mysterio uti Patrona principalis peculiari devotione colitur, addendi in Lytaniis B. V. M. Lauretanis post V. *Mater intemerata*, alterum: *Mater immaculata* Sanctitas Sua benigne annuit: Pro gratia, dummodo tamen non addatur in iisdem tam privatim quam publice aliud, nisi speciali obtenta facultate a S. Sede, quibuscunque in contrarium disponentibus minime obstantibus ac praesertim decreto Clem. VIII. (6. Sept. 1601), quibus in hoc casu S. S. pro hac vice derogatum fuit. n. 4339 die 12. Sept. (Decb.) 1766.

*Ad dubium*: An possint Sanctimonialia Ord. s. Clarae addere Lytaniis Lauretanis aliud Deiparae Encomium *Regina sine labe originali Concepta*? Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Absque Apostolico Indulto non licere.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 8 die 7. Sept. 1850.

## c) Oratio.

Non licet Lytaniis B. V. M. Orationes non approbatas ab hac S. C. adjungi. n. 1361 die 7. Decb. 1641.

## 4) Diversae.

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (additio illicita; decr. n. 4578.)

Ad petitionem cantandi Lytanas de SS. Sacramento resp. S. R. C.: Non consuevit S. R. C. *approbare* alias Lytanas praeter consuetas impressas in Breviario et eas, quae recitantur de B. M. V. in Ecclesia Lauretana juxta decretum fel. rec. Clement. P. VIII. n. 374 ad 16 die 15. Mart. 1608.

## Clemens PP. VIII.

Quoniam multi hoc tempore privati

etiam homines praetextu alienae devotionis novas quotidie Lytaniae evulgant, ut jam prope innumerabiles formae Lytaniarum circumferantur et in nonnullis ineptae Sententiae, in aliis periculosae et errorem sapientes inveniantur, SS. D. N. Clem. PP. VIII. providere volens, ut animarum devotio Deique ac Sanctorum invocatio sine ullius detrimenti spiritualis periculo faveatur, praecipit ac mandat, ut recentis antiquissimis et communibus Lytaniis, quae in Breviariis, Missalibus, Pontif. ac Ritualibus continentur, nec non Lytaniis B. V. M., quae in Aede Lauretana decantari solent, quicumque alias Lytaniae edere vel jam editis in Ecclesiis sive Oratoriis sive Processionibus uti voluerint, eas ad C. S. R. recognoscendas et, si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia dictae Cong. eas in publicum edere aut publice recitare praesumant, sub poenis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii et Inquisitoris infligendis.

Datum Romae octavo Id. Sept. 1601. (Bull. r. t. X. p. 172.)

Canonici Collegiatae Cremon. Dioecesis approbati postulerunt Lytaniae Sanctorum, quorum Reliquiae asservantur in eorum Ecclesia, ad usum illius loci. S. R. C. resp.: „Nihil.“ n. 585 die 4. Apr. 1620.

S. C. non solere approbare alias Lytaniae praeter impressas in Breviario Romano et eas, quae recitantur in domo Lauretana. n. 743 die 12. Junii 1628. Lytaniae, ab Abbate Coelest. civitatis Florentinae in honorem SS. Crucifixi compositas et impressas, prohibendas esse. n. 751 die 12. Julii 1628.

Non posse in Ecclesiis recitari alias Lytaniae, quam impressas in Breviario Romano. n. 894 die 8. Febr. 1631.

Non licere alias Lytaniae recitare, nisi jam approbatas a sede apostolica

et impressas in Breviario Romano. n. 1212 die 31. Mart. 1640.

Episcopus prohibeat recitationem Lytaniarum S. Antonii de Padua a fratribus Minorum de Observantia factam et transmittat formulas omnes et singulas tam manu conscriptas quam typis impressas ad S. C. n. 1775 die 29. Jan. 1656.

Ad petitionem recitandi Lytaniae B. V. M. hispanico idiomate. S. C. resp.: „Nihil.“ n. 1900 die 8. Junii 1658.

*Decretum S. Congregationis Indicis. Feria II. die 23. Aprilis 1860.*

Proposito in sacra Indicis Congregatione dubio:

Quid censendum de libris precum variarum, in quibus praeter Lytaniae Majores et Lauretanas, ut vocant, aliae continentur vi decretorum generalium Apostolicae Sedis hactenus vetitae ac nihilominus diuturno jam pridem usu in plerisque catholici orbis regionibus receptae?

Responsum fuit: „Provisum nuper decreto supremae Congregationis S. Officii Feria IV. die 18. Aprilis cujus haec sunt verba: „Lytaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus et Ritualibus continentur, et praeter Lytaniae Beatae Virginis, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, non edantur sine revisione et adprobatione Ordinarii, nec publice in Ecclesiis, publicis Oratoriis et Processionibus recitentur absque licentia et adprobatione sacrorum Rituum Congregationis.“

Proposito deinde dubio secundo: An stante adprobatione Ordinarii permitti possit librorum usus, in quibus fovendae pietatis ac devotionis gratia continentur partes sacrae Liturgiae, Missalis scilicet, Breviarii, Pontificalis et Ritualis in vernaculam linguam versae

vel integra librorum id genus versio? Responsum fuit: „Non esse inquietandos.“

In quorum fidem

Fr. Angelus Modena,

Ord. Praedicat., s. Indicis Congreg. a Secretis.

### 5) Pro Electione Episcopi.

Vd.: *Praes pro elect. Episcopi.*

### 6) In expos. SSmi. 40 hh.

Quando incipiendae?

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 20; §. XXIV. n. 18. 19 etc.; §. XXX. 21.*

### 7) Majores et Minores.

#### a) Abusus.

Non licet in processionibus canere Evangelia et similia loco Lytaniarum sed nonnisi Lytaniae, prout jacent in Breviariis, esse canendas. n. 1041 die 28. Apr. 1636.

In processionibus in die s. Marci et Rogationum adesse consuetudinem visitandi Ecclesias civitatis Laudens. et in qualibet earum recitandi orationem propriam illius sancti, cui dicata est, per unum ex ipsis Canonicis Cathedr. incipiendo ab antiquioribus et gradatim descendendo et post eos per Praepositum et Canonicos Collegiatae. S. C. resp.: Affirmative. n. 1658 ad 1 die 18. Jan. 1653.

In Laudensi Cathedrali, quando ab Ep., quem comitatur Canonicorum Collegium, ritu Pontificali celebrantur Processiones Rogationum, dum visitantur, ut mos est, praecipuae Civitatis Ecclesiae, et in unaquaque earum dicuntur Orationes in hon. Sanctorum, a quibus Ecclesia titulum sumit, in illis dicendis hic modus servatur: in prima Eccl. Oratio dicitur ab Ep., in aliis vero dicuntur dictae Orationes per turnum a Canonicis. Quum autem in Conc.

Prov. VI. a S. Carolo Borromeo edito, titulo: *quae ad divina Officia pertinent* hujusmodi reperiatur Decretum: „Ep. Divinorum Officiorum, quibus praesens in Ecclesia adest, initium statis precibus versibusque faciat, Orationes statas ipse dicat, binis accensis luminibus in ejus conspectum allatis.“ Quaeritur: an exposita consuetudo, non obstante illo Decreto, possit servari? S. ipsa C. respondendum censuit: „Eliminandas consuetudines seu abusus.“ Et ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5156 ad 1 die 29. Mart. 1851.

#### b) Additio.

Cf.: *Lytaniae Sanctorum.*

*Ad dubium:* Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Lytaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terraemotus, peste, fame et bello; quaeritur: utrum recitari debeant, et quo loco apponendae?

S. eadem C. R. . . respondendum censuit: „Affirmative, et ponendas esse post versum: *A fulgure et tempestate.*“ Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 1 die 11. Sept. 1847.

#### c) Non anticip. aut transferendae.

*Ad dubium:* an ex sensu rubricae in festo s. Marci et in feriis Rogat. recte inferatur, quod Lytaniae SS. de praecepto recitandae in festo s. Marci et in triduo Rogat. anticipari possint atque recitari post Matutinum et Laud. die antecedenti ab iis, qui Processioni sequentis diei non interveniunt? S. C. resp.: Negative. n. 4378 ad 16 die 15. Junii 1776. Vd.: *Lyt. Maj.* (Oblig.)

#### d) Color.

In Rogationibus semper quocunque

tempore adhibendum esse colorem violaceum, etiam occurrente die s. Marci infra octavam Resurrectionis. n. 1810 die 3. Jan. 1657.

e) Commemoratio.

Vd.: *Missa vot. pro Spons.* (dies etc. decr. n. 4691); *Lytan. maj.* (missa; praecipue decr. de die 23. Maji 1846; decr. n. 5082; 4669; 5183); *Lytan. maj.* (Orationes.)

f) Credo.

In missa Rogationum in festo s. Marci, quod anno 1688 incidit in dominicam in Albis, dicendum non est Credo ratione Dominicae, quia est missa ferialis. n. 3170 die 25. Sept. 1688; n. 3754 ad 16 die 25. Sept. 1706. Occurrente festo s. Marci infra octavam Paschalis in missa rogationum dicendum non est Credo. n. 3477 ad 17 die 5. Julii 1698.

In missis Rogationum dici non debet *Credo*, dum incidunt in dominicam. n. 4526 ad 30 die 7. Sept. 1816. (Cf. *Missa vot. de Sancto* (gl. cr. decr. n. 4560 ad finem.)

g) Exitus.

Vd.: *Processio* (exitus.)

Regulares teneri in processionibus s. Marci accedere ad Ecclesiam, unde movetur processio, et non possunt processionibus jam coeptis se jungere per viam. n. 1688 die 22. Novb. 1653.

Omnes processiones publicae, puta: s. Marci, rogationum etc. incipere debeant ab ipsa matrice. n. 1047 ad 3 die 6. Sept. 1636.

Collegiata, noviter sine cura animarum erecta, in rogationibus convenire debet ad Ecclesiam paroch. matricem, ut ex illa leventur processiones. n. 2209 ad 4 die 17. Mart. 1663.

Archipresbyter Ecclesiae s. Pauli

Terrae Massae Lombard. Dioeces. non potest inconsulto Episcopo dispensare Regulares propria auctoritate ab accessu ad dictam Ecclesiam archipresb., a qua Processio ducitur, occasione publicarum supplicationum. n. 4314 die 11. Decb. 1762.

Die s. Marci congregantur . . . *totus Clerus saecul. et regul. ac*, ubi consuetudo est, confraternitates laicorum cum eorum insigniis ante fores Ecclesiae, unde processio discedere debet, seu etiam intra Ecclesiam, si sit capax. *Caer. Ep. I. II. c. XXXII. n. 1.*

h) Missa.

Vd.: *Lytaniae maj.* (temp.; decr. n. 4044); *Organum; Altare* (ornatus in rogat.) *Tertia; Lytan. maj.* (Oblig. decr. 4777); *Lytan. maj.* (orationes)

S. R. C. concessit ut in civitate Hispal. in die s. Marci, *ad cujus Ecclesiam hac die terminantur* processiones Lytaniarum majorum, ibi *Missa de s. Marco* celebranda sit et non de Rogationibus. n. 194 die 23. Maji 1603.

In die s. Marci post processionem cantanda est missa de praedicto Sancto, *quando processio terminatur ad Ecclesiam ejusdem.* (Caer. Ep. I. II. c. XXXII. n. 6.) n. 3301 ad 17 die 10. Jan. 1693.

Servandas esse rubricas missalis rom. circa celebrationem missarum in fer. 2. rogationum. n. 2417 ad 1 die 13. Aug. 1667.

*Ad dubium:* 1) an in Ecclesiis Regul., ubi *nulla* cantatur missa, et quae missa legi debeat tam in festo s. Marci quam in feriis Rogat., in quibus occurrunt Lytaniae? 2) An et quae missa in Ecclesiis, in quibus una solet cantari missa? 3) Occurrentibus Lytaniis maj. in fer. 3. Paschae quaeritur: quae missa legi debeat in Ecclesiis, in quibus non solet cantari nisi missa de festo? S. C. resp.:

Serventur rubricae. n. 4361 die 27. Mart. 1773.

*Limburgen.*

Quum praesenti anno 1847 Festum S. Marci occurrat Dom. III. post Pascha Resurrectionis, in qua reponi debet Festum S. Georgii M. Patroni integrae Limburg. Dioec., hodiernus Cathedr. illius Vicarius ac Kalendarii Director S. R. C. sequentia Dubia proposuit, ut in hujusmodi occurrentia certa praescribatur Regula pro celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii. Dubia autem sunt ut infra, nimirum:

1. Quenam Missa, num de Rogationibus, num de S. Georgio, an de S. Marco hac Dom. celebranda sit in iis Eccl., in quibus unus vel duo tantum sunt Sacerdotes celebrantes?

2. Quenam in iis Eccl., quorum Patronus S. Marcus existit?

3. Quomodo in utroque casu Missa quoad commemorationem ordinanda sit?

Et S. eadem C. ad Quirinale sub signata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, rescribendum censuit:

Ad 1: „Juxta alias Decreta Missa de Titulari, cum commemoratione Rogationum.“

Ad 2: „Ut ad primum.“

Ad 3: „Commemoratio de Rogationibus sit cum Oratione diei sub unica conclusione.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5082.

Die 27. Febr. 1847.

*Ad dubium:* In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur: quae Missa legenda sit in Processione Sancti Marci ac Rogationum minorum, praesertim si occurrat Officium duplex? S. C. resp.:

„Si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum, secus de Festo cum com-

memoratione earundem.“ n. 4669 ad 37 die 12. Novb. 1831.

*Quaeritur:* Si post processionem legatur missa Rogationum, debet in ea fieri commem. festi concurrentis, et fieri debent omnes aliae commemorationes, quae dicendae essent in Missa diei, vel, hic omnibus omissis, dicendae sunt 2. et 3. orationes, quae in missa Rogationum dicendae praescribuntur in missali? S. C. resp.: Faciendam esse commem. festi concurrentis cum sola tertia oratione, quae 2. loco praescribitur in missa Rogat.

Die 23. Maji 1846 ad 2 *in Tuden.*

*Ad dubium:* An die s. Marci ac in feriis Rogat. teneantur Regulares cantare missam conv. de Rogat. seu potius de festo?

S. C. resp.: In dupl. 1. et 2. cl. canendas esse duas missas; in reliquis dilata. Die 16. Febr. 1781.

In una Ord. Carmel. Excal. Hispaniae 16. Febr. 1781 ad dub. 2. decr. fuit, in die s. Marci et Rogat. si occurrent festa 1. vel 2. cl., canendas esse duas missas; quaeritur: Num etiam nos, qui ad conv. cantandam non tenemur, huic decreto subjici teneamur, cum communiter in praxi non sit apud Regulares, etsi orator anno elapso apposuerit?

S. C. resp.: Servandum esse decr. die 16. Febr. 1781.

Die 19. Sept. 1801. *Ord. Erem. s. Aug. Prov. Valent. in Hispania.*

*Ad Dubium:* Si in Feria III. vel IV. Rogationum incidat Festum duplex I. Cl. e. g. Titularis propriae Ecclesiae vel Patroni Loci, potestne celebrari post Processionem Missa Rogationum, et in aliis Missis addi Commemoratio earundem?

„Affirmative quoad Missam Rogationum cum cantu, quoad commemorationem in Missis lectis negative juxta Rubricas.“

Atque ita declarandum et rescriben-

dum censuit. n. 5183 ad 12 die 16. Aprilis 1853.

*Ad dubium:* An liceat in die Sancti Marci cantare Missam de Rogationibus in Primatiali post Tertiam, quia in Lytaniis majoribus ipso die itur processionaliter ad Ecclesiam Sanctae Marthae, et ibi cantatur solemnis Missa de Sancto Marco, qui ejusdem Ecclesiae putatur *Contitularis*, eo quod populus Ecclesiae S. Marci jam adjunctus fuerit Paroeciae S. Marthae? Notandum tamen quod Eccl. S. Marci adhuc existit non Parochialis, ut olim, sed ut publicum Oratorium, et populus dumtaxat S. Marci aggregatus fuit Ecclesiae S. Marthae. S. C. resp.: „Detur Decretum in una Galliarum die 11. Januarii 1693 nimirum: Missam de Feria canendam esse post Processionem in die festo Sancti Marci, nisi Processio finem habeat in Ecclesia eidem Sancto dicata.“ Die 12. Novembris 1831. n. 4678 ad 2.

*Ad dubium 1:* Si in Feriis Rogationum fiat de Festo duplici vel semiduplici, et una tantum Missa celebretur, et quidem post Processionem, an debet esse de Festo occurrente, saltem si sit duplex? 2. An responsum affirmativum vel negativum applicandum erit Festo Sancti Marci Evangelistae? S. C. resp.: „In utroque casu de Feria Rogationum.“

Die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 12.

#### i) Obligatio.

##### (De praecepto.)

*Ad dubium:* 1. An Lytaniae Sanctorum juxta praescripta Rubricarum pro Ord. Min. s. Francisci Reform. Prov. Tridentinae ex indulto Apostolico rite disposita, sint modo *de praecepto* recitandae in Festo S. Marci et in Rogationibus?

2. An in dictis Feriis Missa Rogationum sit de praecepto celebranda,

quae in hac Provincia ex inveterata consuetudine non est in usu?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt ad 1: „Affirmative.“

Ad 2: „Affirmative, si fiat Processio Rogationum?“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 9 et 10. Die 12. Martii 1836.

Vd.: *Lytan. maj.* (non anticipandae etc.)

#### k) Officiator.

Pluvialis indumentum et precum decantationem in processione s. Marci absente Episcopo vel nolente hujusmodi officium peragere spectare ad illum, qui mox (in Cathedrali) missam solemnem celebraturus erit, quamvis processio terminetur in Collegiata. n. 2165 die 1. Apr. 1662. Vd.: *Pluviale; Missa conv. in Eccl. Cath.* (celebr. decr. n. 4262). *Tertia.*

Spectare ad Canonicum Pluviali indutum in processione accedentem recitare preces in processionibus publicis s. Marci et rogationum. n. 2039 die 11. Jan. 1681.

*Ad dub.:* An in prima Rogationum Processione, quae aequae ac secunda et tertia egreditur ab Ecclesia Matrice, et in qua ejus Archipresbyter stola amictus preces, egrediendo, praecinit, et agris deinde benedicit, debeant preces eadem ab ipsomet Archipresbytero absolvi in Ecclesia Beneficiata S. Michaelis Archangeli, in qua dicta prior Processio confici solet, seu potius ab eodem Archipresbytero deponenda sit stola in actu ingressus ad Ecclesiam eandem, ad hoc, ut Parochus S. Michaelis Archangeli ipsas absolvat preces, et sacrae huic functioni finem imponat in casu etc.?

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.“ n. 4483 ad 2 die 27. Martii 1802.

(NB. Iterum proposita causa S. C. *ad hoc non respondit* die 11. Sept. 1802, quamquam ad tertiam quaestionem: „an sit standum vel recedendum a decisio sub diebus 27. Mart. et 11. Sept. 1802? respondit: In 2. loco decisio. Die 22. Jan. 1803.)

Super celebrationem Missarum solemnum occasione Processionum generalium tribus diebus Rogationum in Ecclesiis Regularium Ordinum S. Augustini, Minorum Conventualium, et S. Dominici Oppidi Vasti, Dioecesis Theatinae, inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Majoris ex una, et ipsos Regulares partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus. et Rmus. D. Card. Lercari infrascriptum Dubium declarandum proposuit:

An Missae cantari solitae in tribus diebus Rogationum, nempe Feria II. in Ecclesia P. S. Augustini, Feria III. in Ecclesia P. Min. Conventualium, Feria IV. in Ecclesia P. Dominicanorum Civitatis Vasti cantari debent a Canonicis S. Mariae Majoris, seu potius a Regularibus respective dictarum Ecclesiarum?

Et S. eadem R. C., partibus hinc inde informantibus auditis, die 19. Jan. 1732 rescribendum duxit: „Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.“ Verum ad instantiam dicatorum Regularium, vigore novae audientiae ab ipsis obtentae, re-proposita hujusmodi controversia super Dubio: „An sit standum vel recedendum a Decisio?“ S. eadem C., ad relationem ipsius Emi. Ponentis, sub die 13. Sept. dicti anni, ex juribus a dictis Regularibus noviter deductis, rescripsit: „Praevio recessu a Decisio, Missas cantandas esse a Regularibus: „Adversus istam resolutionem petita et obtenta etiam a Capitulo praefatae Collegiatae nova audientia, idem Emus Ponens sequens dubium declarandum

Decreta authentica. Tom. II.

proposuit: „An sit standum in primo vel in secundo loco decisio?“

Et S. eadem R. C., juribus hinc inde deductis mature examinatis, et utraque parte in scriptis et in voce audita, rescribendum censuit: „Standum esse in secundo loco decisio, et amplius.“

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 4029 die 22. Jan. 1735.

#### l) Orationes.

##### 1. Missae.

Vd.: *Lytan. maj.* (missa.)

In missa de rogationibus dicendas esse orationes a rubrica praescriptas, scilicet primam de rogat., 2. *Concede* de B. V. M., 3. *pro Papa* vel Ecclesia. n. 4401 ad 2 die 16. Febr. 1781.

*Ad dubium:* an fer. 3. Rogat. dicenda sit 2. oratio dominicae? S. C. resp.: Negative. n. 3754 ad 5 die 25. Sept. 1706.

*Ad dubium:* Sub die 12. Nov. 1831. S. R. C. decrevit: „In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari vel adest solus Parochus, in Festo S. Marci ac in Triduo Rogationum, etiamsi occurrat Festum dupl., si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum; secus legenda est de Festo cum commemoratione earumdem.“ Quae ritur ergo, si post Processionem legatur Missa Rogationum, debet in ea fieri com. Festi occur., et fieri debent omnes aliae Commemorationes, quae dicendae essent in Missa diei vel his omnibus omissis dicendae sunt II. et III. Orationes, quae in Missa Rogationum dicendae praescribuntur in Missali?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Faciendam esse com. Festi occur. cum sola III. Oratione, quae II. loco praescribitur in Missa Rogationum.

Atque ita rescripsit, declaravit, in-

dulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 2 die 23. Maji 1846.

2. In Ecclesia, si non celebr. Missa in ea.

Si Missa Rogat. in regressu Processionis (in Cathedrali) celebrari judicabitur, tunc in Ecclesia, ad quam Missa regreditur (et statim sine Missa regreditur) per Episcopum vel celebrantem cantata per cantores Antiphona de B. V. M. et de s. Titulari, subjungentur propriae Orationes. *Caer. Ep. l. II. c. XXXII. n. 6.*

m) Praefatio.

Juxta Decretum S. R. C. diei 23. Maji 1846 in Tuden. in Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, tam in Festo S. Marci quam in Triduo Rogationum, si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum, in qua fieri debet commemoratio Festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum. Queritur: an in praedictis diebus semper legi debeat in Missa Praefatio Paschalis in Missis Rogationum etiam in casu occurrentiae alicujus Octavae Praefationem propriam habentis?

Emi. et Rmi. P. . . rescribendum censuerunt:

Legendam Praefationem Octavae, si ejusdem commemoratio locum habeat in Missa.

Atque ita rescripserunt propositaque Dubia declaraverunt. n. 5196 ad 5. Die 17. Sept. 1853.

n) Processio.

Regulares poenis arbitrariis cogi posse ab Episcopo ad interveniendum processionibus Rogationum, nisi docuerint apostolicis privilegiis contrarium disponentibus, quae sint s. Concilio Tridentino posteriora. n. 1393 die 31. Maji 1642.

Episcopo Aquipendentis S. C. facultatem concessit cogendi Regulares sub censuris et poenis in processionibus ad canendas Lytanas et alias preces a Clero Saeculari cantari solitas. n. 2288 die 30. Aug. 1664.

Vd.: *Pluviale.*

Omnes Patres, tam sacerdotes quam laicos (Ripanae Dioecesis) interesse debere processionibus s. Marci et Triduanis, nisi legitime sint impediti, usque ad earum finem. n. 1559 die 14. Junii 1646. Vd.: *Coadjutor Canon.*

Nondum teneri Regulares ad associationem Processionis Rogationum in reditu ad Ecclesiam Collegiatam, ad id vero praestandum cogi posse. n. 1827 die 9. Junii 1657.

*Ad dubium:* an Fratres Ord. s. Francisci Reform. interesse debeant processionibus s. Marci et Rogationum, quibus nunquam intervenire? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3462 ad 3 die 15. Mart. 1698.

*Ad dubium:* An Clerus Ecclesiae paroch. s. Jacobi ap. ac caeterarum paroch. Barcinonen., qui in diebus s. Marci et Rogationum Processioni Lytaniarum Ecclesiae Cath. non intersunt, (quia dictis diebus non fit in ea civitate processio generalis sed particularis cum assistentia Cleri Cath. et Senatus) debeant facere processionem particularem an vero satisfaciant recitando Lytanas publice in choro immediate post Laudes Officii diei? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4442 ad 2 die 11. Sept. 1790.

*Ad dubium:* an liceat Praeposito (Cathedr. Anagninae) se eximere ab assistentia in processionibus s. Marci, Rogat. et aliis cum pluviali? S. C. resp.: Servetur Caeremoniale et amplius. n. 4040 ad 11 die 21. Apr. 1736.

Processiones pro Lytaniis majoribus

Rogationum inter generales censi debent. n. 2286 ad 1 die 12. Julii 1664.

Vd.: *Lytan. maj.* (Exitus); *Processio* (Obligatio etc.)

o) Recitatio.

*Ad dubium:* An Lytaniae Sanctorum in Festo S. Marci et in Feriis Rogationum recitari debeant cum repetitione ab obligatis ad Officium Divinum, qui eas simul recitant vel in Choro vel extra Chorum?

Et S. eadem R. C. . . rescribendum censuit:

„In casu absque repetitione recitandas.“

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit. n. 5185 ad 2 die 7. Maji 1853.

p) Tempus.

*Ad dubium* PP. Benedictinor. Einsidl: an in festo s. Marci ac in feriis Rogationum, si in iis fiat de festo duodecim lectionum in iis locis, ubi una tantum missa cantatur pro populi commoditate, ut possit post processionem vacare laboribus, an oporteat potius cantari missam de festo quam de Rogationibus? S. C. resp.: Convenientius est processionem facere post Nonam, inde cantare missam de rogationibus. n. 4044 (*Alia dub.*) dub. 3 die 5. Maji 1736.

*Ad relationem* eorumdem Benedict. Einsidl: Cum in festo s. Marci et in feriis Rogationum debeat et convenientius sit, post Nonam facere processionem, inde cantare missam rogationum, petitur facultas cantandi missam rogation. ante Officium diei, ut populus, qui frequentissimus adesse solet tempore Matutino in Ecclesiis, possit vacare laboribus? S. C. resp.: Pro gratia et poterit cantari missam rogationum ante Processionem pro populi

commoditate. n. 4044 (2do) ad 24 die 23. Julii 1736.

q) Terminatio.

*De modo excipiendi Episcopi in terminat. Lytaniarum,* vd.: *Aspersorii porr. in eccl. Monach. ; Lytan. maj.* (Orat. in Eccles.)

r) Translatio.

In casu, quod festum Paschatis Resurrectionis D. N. occurrat in die s. Marci, Lytanas et processionem fieri debere in ultimo die festo Paschatis, videlicet in fer. III. proxime sequenti. n. 709 die 25. Sept. 1627.

Lytanas et Processiones s. Marci in futuro anno 1666, quo illius festum cadit in die Paschatis, esse transferendas ad fer. III., non autem secundam. n. 2340 die 19. Sept. 1665; n. 3754 ad 18 die 25. Sept. 1706.

*Ad dubium:* an in Dioecibus, in quibus, festo s. Marci occurrente per octavam Paschae vel in dominica, Lytaniae transferuntur cum abstinencia post octavam vel post dominicam, debeant Capuccini Galliae haec observare? S. C. resp.: quoad Lytanas et Processiones servetur rubrica particularis missalis in festo s. Marci, quoad secundam partem servetur consuetudo loci. n. 3710 ad 5 die 14. Febr. 1705.

Juxta decr. 2. Concilii Provinc. Mechlin. a S. S. approbati tit. XIII. c. 6. habetur: „Si festum s. Marci transferendum est post Pascha, fit de eo cum Lytaniis et abstinencia a carnibus feria 4. p. dom. in albis. Quodsi in dictam fer. 4. incidit festum ss. Apost. Philippi et Jacobi vel SS. Crucis, processio et abstinencia transferentur in fer. 5. immediate sequentem.“

Hisce positis Episcopus Brugens. humillime declarari efflagitat: Si alicubi in praefata fer. V. occurrat festum